



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Pastorum Continens Doctrinas, & Industrias ad Pastorale  
Munus piè, fructuosè, ac securè obeundum pertinentes,  
Unà cum Casibus frequentiùs circa idem Officium  
occurrere solitis, & ex communiote ...**

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1678**

Præfatio Ad Neo-Parochos, Aliósque similes Animarum Curatores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49267](#)



## PRÆFATIO

A D

## NEO-PAROCHOS,

Aliosque similes

A N I M A R U M

CURATORES.

*Admodum Reverendi, & doctissimi  
Domini Pastores.*

**D**UM singularem Vocationis Ve-  
stræ excellentiam , Munerisque  
vobis commissi arduitatem , & ,  
quæ ex utroque hoc capite oritur ,  
gravissimam rationis olim reddendæ obligatio-  
nem accuratiùs mecum non semel perpende-  
bam , semper equidem existimavi , nihil magis  
vobis optandum , ac laborandum esse , quām ut  
solidam quandam in functionibus vestris tam  
arduis praxin , & dexteritatem acquireretis .  
Quem quidem in finem variæ Instructiones ,  
& Manualia à Viris doctrinâ , experientiâ , ac  
Zelo animarum clarissimis sunt composita , pu-  
blicoque

P R A E F A T I O.

blicoque prælo commissa. Qualia præter variis antiquorum aliquorum Doctorum Instructiones, in primis inter Recentiorum Authorum monumenta censeri potest insignis ille Reverendissimi D. Augustini Barbosæ tractus de Officio, & potestate Parochi. Deinde Sacerdos Christianus seu egregia illa, utilissimaque ad vitam Sacerdotalem piè instituendam Manuductio à Zelosissimo Sorbonæ Doctore M. Ludovico Abelles composita, & olim quidem Coloniæ, nunc verò etiam ante annos non multos Monachij iterum impresa. Præterea nunquam satis laudandum Manuale P. Caroli Musarti, qui ex Societate nostra multis annis Theologiam moralem cum singulari laude & fructu professus est, & quidquid longo usu ac experientiâ ad Pastorales functiones frumentosè obeundas maximè salutare esse cognoverat, in hoc Manuali veluti brevi Compendio, ordinatissimâ Methodo, & insigni soliditate explicavit. Præterea Epinomia Parochorum ab Adm. R. P. Ferdinando Hauckio Barnabita tertio recognita, & Anno 1666. Monachij recusa. Item Manuale Parochorum ab Adm. R. P. Ludovico Engel, Ordinis S. Benedicti, ac Juris Canonici in Academia Salisburgensi celebri Professore tertia quoque vice

P R A E F A T I O.

vice in lucem editum. Ut taceam Ritualia Dicē-  
cesana, & alias non paucas, nec breves Intru-  
ditiones, quæ unam sibi tantum Pastoris Eccle-  
siastici functionem v. g. concionandi, confes-  
siones audiendi &c. explicandam sumperunt;  
sed tamen in plerisque his libris video etiam-  
num à vobis aliquid desiderari, videlicet aut  
ordinem, brevitatemque pro juvanda memo-  
ria; aut dubiorum quorundam vobis occur-  
rentium claram, solidamque resolutionem pro  
illustrando intellectu; aut denique efficacia  
quædam ex variis principiis deducta argumen-  
ta ad voluntatem contra multiplices, quæ in  
functionibus vestris occurrere solent, difficul-  
tates, ac molestias excitandam, ac roborandam.  
Quare ut huic quoque æquissimo vestro desi-  
derio satisfacerem, calatum assumpsi, &  
quæ ad supradictum finem, tum in citatis Au-  
thoribus, tum in aliis utilissimis libris de hac  
materia tractantibus dispersa reperi, sedulæ  
apis more, in hunc libellum transtuli, quo  
quidem universas materias ad Munus vestrum  
pertinentes, eo ordine ac brevitate comple-  
xus sum, ut nihil admodum superfuturum  
credam, quod ad functiones vestras piè, fru-  
ctuosè, atque securè obeundas desiderare am-  
plius possitis. Dividetur autem tota hæc In-  
structio

P R A E F A T I O.

struētio in duas partes , quarum prioras  
doctrinas , quæ circa propriam Personam  
posterior cas , quæ circa alios observandas  
sunt , explicabit. Valete , & laborem moni-  
solius divinæ gloriæ augendæ , vestriqué con-  
modi gratiâ suscepimus æqui , bonique consi-  
lite ; sed & alias plures Instructiones par-  
jam editas , sed notabili incremento augen-  
das ; partim novas , eodem , si Superis &  
perioribus placet , typo , chartaque hic im-  
primendas , brevique secuturas  
exspectate.



PARS